UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marii Mercatoris S. Augustino Æqualis Opera Quæcumque Extant

[Complectens Ea Quæ Ad Hæresim Nestorianam Spectant]

Marius <Mercator>

Parisiis, 1673

Ejusdem Theodori de codice secundo ex libro tertio, folio decimo octavo. Excerptum Tertium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14215

Visual Library

ſtatus Adæ participes facti; neceſſario etiam ſecundi Adæ Chriſti Domini ſecundum carnem, futuri ſtatus participium conſequimur; vtpote qui ex hac eadem natura conſtet exortus, & cuncta, quæ fuerant naturæ, ſuſceperit: & ideo ſuſtinuerit mortem, vt mortem naturæ ſuſcipiens, & a mortuis reſurgens, naturam liberam a morte perficeret.

IX. Et mortem quidem propterea ſuſcepit, peccatum vero nequaquam; ſed ab hoc immunis permanſit omnino: quod enim erat naturæ, id eſt, mortem, indubitanter aſſumpſit; peccatum vero, quod non erat naturæ, ſed voluntatis, nullo pacto ſuſcepit. Quod ſi fuiſſet in natura peccatum, juxta ſapientiſſimi hujus eloquium, peccatum, in natura prorſus exiſtens, neceſſario ſuſcepiſſet.

Ejuſdem Theodori de codice ſecundo ex libro tertio, folio decimo octavo.

EXCERPTUM TERTIUM.

I. SI, inquit, peccaturum Deus* neſciebat Adam, ſit horum ſapientiſſimorum & iſta reſponſio, quod hoc inſaniſſimum eſt, vel in cogitatione percipere; manifeſtum eſt, quod & peccaturum eum noverat, & propter hoc procul dubio moriturum. Quomodo ergo non eſt extremæ dementiæ credere, quod primitus eum immortalem in ſex horas fecerit; (nam tantæ fuerunt a conditione ejus vſque ad commiſſionem, quandoquidem ſexto die factus e terra, & comedens contra divinum mandatum de paradiſo pulſus eſt) mortalem vero poſt peccatum monſtraverit.

* B. vere ſciebat

II. Certum eſt enim, quod ſi eum immortalem voluiſſet, nec intercedens peccatum Dei ſententiam commutaſſet, quia nec diabolum fecit ex immortali mortalem, & quidem cunctorum malorum exiſtentem principium.

Ejuſdem Theodori de ſecundo codice ex libro tertio, folio vigeſimo quinto.

EXCERPTUM QUARTUM.

I. NON enim, inquit, his, qui ab Adam, vſque ad adventum Chriſti Domini in tantis fuerunt impietatibus & iniquitatibus, quantas beatus Paulus propriis verbis expreſſit, vt in ſuperioribus ex ejus declaratum vocibus, tanquam magnum quiddam reſurrectionis collaturus eſt præmium, ſi eos ſuppliciis quibuſdam ſine fine & ſine correctione tradiderit. Nam vbi jam loco muneris reſurrectio putabitur, ſi pœna ſine correctione reſurgentibus inferatur?

ET POST PAULULUM.

II. QUIS, inquit, ita demens, vt tantum bonum credat materiam fieri reſurgentibus infiniti ſupplicii? Quibus vtilius erat omnino non ſurgere, quam tantorum & talium malorum, poſt reſurrectionem, ſub infinitis pœnis experientiam ſuſtinere.

Ejuſdem Theodori ex alio quopiam libro adverſus Dominum JESUM CHRISTUM, *& ejus incarnationem.*

I. NEC enim, inquit, ſi duas dicimus in Chriſto naturas, neceſſario fiet, vt duos filios, aut duos dominos aſſeramus: quia hoc arbitrari extremæ probatur dementiæ. Omnia enim quæcumque ſecundum aliquid duo ſunt, & ſecundum aliquid, vnum, non interimunt per vnitatem vtriuſque diviſionem: *Ego enim & Pater vnum ſumus.* (Ioan. 10. v. 30.) Sed non quia vnum, neganda eſt vtriuſque proprietas. Et alibi de viro & vxore pronuntians ait: *Iam non ſunt duo, ſed vna caro.* (Matth. 19. v. 6.) Sed non quia vna caro vir & vxor, jam non ſunt duo: manent enim duo, juxta quod duo ſunt; & vnum, juxta quod vnum. Secundum hunc modum, & hic duo ſunt natura, ſed vnum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN